

rem de omni lite, quæ inter eos versaretur, post Imperatorem, & ejus filium Marchionem Brandiburgensem, Ubertinus tertius arbiter compromissarius electus est. His namque ac talibus studiis quæsitâ gloriâ, & beneficiis partâ benevolentia efficiebat, ut & quisque eum optaret sibi patronum, & nemo dedignaretur collegam. Nec mirum verò, cum & hostis amicitiam ejus sibi cupidè expetierit. Mastinus namque de la Scala, quocum plurima bella gesserat, & tam multa & magna ultro citroque damna illata intervenerant, ut videretur odium inter eos fore immortale, occultis nunciis conciliare sibi animum ejus tentavit: cujus rei minimè difficillem Ubertinus se præbuit, & hoc ipsum victoriæ genus quoddam arbitratus, post pacem datam amicitiam quoque suam desiderari. Itaque post complures Mastini nuncios ad se destinatos Johannem Franciscum Galmarellam ad eum misit, quo reverso ac renunciantem, magnopere Mastinum optare præsentem amborum congressum, mutuumque sermonem, uterque ad fines descenderunt, Ubertinus Montagnanam, Mastinus Coloniam. Inde verò per legatos primum utrinque dimissos summos viros, postea præsentem ipsi sese venientes obvii consalutarunt. Venit autem primum Mastinus Montagnanam, cui Ubertinus extra fines occurrit, multaque hilaritate susceptum, ipsum atque omnem comitatum magnificè procuravit. Postera die ambo Coloniam progressi sunt, ubi splendido convivio per summum apparatus sunt accepti. Multa inter se soli agitaverunt, atque ita discesserunt, ut grãdis inter eos amicitia, certa que fiducia contracta videretur. Hoc Venetis suspicionem non modicam tulit, admirantibus, quid sibi vellet tanta ex præcipiti nata benevolentia, ac metuentibus, ne fortè novandarum rerum causa fieret. Quamobrem quotquot veteres stipendiarios ex Padua, Vicentia, aut Tarvisio habebant, omnibus missionem dederunt, novosque aliunde conscribendos curaverunt. Et sanè quod est ad Venetos, Ubertinus, tametsi plurimum studebat benevolos eos habere, pleraque tamen egit, quibus meritò offendi debuerint. Nam quemdam Guilliemi Dentis naturalem fratrem, qui quo tutior viveret, Venetis habitabat, die media in publica platea occidi per suos faellites fecit; nec ea res aliam disquisitionem, aut querelam habuit. Sed hoc in rebellem quidem privatumque inimicum, in Civem verò Venetum modestius. Cùm enim quemdam audisset in Senatu Venetorum liberius de se solitum maledicere, atque ex eo gloriã captare, indicare illi voluit, quòd facile ulcisci in eum posset. Certis igitur ministris recommitit, & quid fieri velit admonet. Illi impositâ navigio magnâ vini mensurâ, seque mercatores assimulantes, diverso itinere Venetias petunt, adhibitisque mediatoribus hujusce mercis mentionem deferri ad illum faciunt, quoque proclivior sit, esse rei pretiosâ pretium tenue fingunt. Ille se ad navigium confert, de quo convenerit empurum. Inter gustandum verò datur ei somnifera potio in id ipsum antea præparata, ex qua protinus in soporem solutus est. Naviculâ verò leviori illum imponunt, ac per summam celeritatem Paduam vehunt, quem Ubertinus in cubiculo proprio, atque in suo lecto collocari, & quicquid circa se ageretur nihil sentientem mandat, jubetque ex abdito clam observari, quidnam ille experrectus faceret. Postquam igitur medicamenti vis longiore somno discussa est, tandem experrectus, ignotumque locum contemplatus, mira-

Tom. XVI

A biliter cogitabat, ubi esset, aut unde venisset. Admirationi subinde terror additur, cùm Carrariensium signa armaque cognoscit; & erat diu apud se incertus, ullane eum forsitan somni species deluderet. Certior tandem multis argumentis factus, ut erat indutus, thoro exiit, fores retentat, omnes circumspicit aditus, si fortè fugere aut latere uspiam possit. Tum verò demum sese infert Ubertinus, ac veluti ex improviso respiciens, *Quid heic agis?* inquit, *etiam domi meæ insidias mihi structurus advenisti?* *An non satis erat perpetuis me maledictis incensere, nomenque meum absentis lacerare? Haud sic profectò abibis. Impune licuit tibi de me antehac dicere omne quod velles: nunc mihi licet, quodcumque vitæ tuæ constituro planè facere.* Ille metu pæne exanimis ad genua procidens, multis lacrymis, multisque precibus veniam orabat. Tandem Ubertinus vultu mitiore eum erexit: *Et satis,* inquit, *est mihi licere de te omnia; tibi vero, si sapias, satis erit pro pœna metus præsens.* Atque inde comiter habitum, multa que familiaritate donatum remisit. Ea res foris opinionem ejus plurimum auxit, timerique peramplius cepit.

Jamque nemo, qui insensum illum haberet, domi suæ intraque parietes proprios tutus videri sibi poterat. Studebat namque Ubertinus timeri cum foris, tum maximè in Urbe, sciens Regnum recens difficilè quàm per metum contineri posse. Quamobrem duas mulieres matrem & filiam ignibus cremari jussit, quòd apud eas, tametsi parvo temporis spatio, homicidium latuisset; & duos pastores ex levi suspitione intra carceres excocari. Ac ne suorum quidem crimina liquit impunita. Sororem namque suam naturalem, quæ Monialium apud Arcellam erat Abbatissa, quoniam cum Religioso quodam incoctum admisisset, necari cum ipso stupratore jussit: quo factò & pudicitiam, quæ generi, & Religionem, quæ Deo debebatur, expiavit. Nonnihil etiam genitricis nomine in hanc animadversionem exarsit; solet enim ab uno crimen admissum ceteros, qui ejusdem gradus atque ordinis sunt, contagione quadam infamiae notare. D. Fuera autem Ubertini mater Fina nomine post viri obitum Deo sacrata, & Monialium Sancti Benedicti Abbatissa, quo in loco per summam integritatem vitæ in divino cultu vitam finivit, & intra claustrum sepulta est, quam Ubertinus & viventem, & jam extinctam multa semper veneratione dignatus est. Nicolaum verò de Carraria defunctum consanguineum officio pietatis debito prosequutus est, à quo etsi in vita dissensisset, indignum tamen ratus ut defuncti ossa extra patriam inhonorata jacerent, & procul à majorum suorum monumentis, corpus ejus à Fratribus Minoribus, apud quos sepultum Venetis erat, petiit. Illi duratos se negabant, quòd non modò apud eos sepeliri, verùm & in eorum habitu Religionis traduci finis voluisset. Ob eam rem Ubertinus omnes, qui Paduæ habitarent, ejus Religionis viros, & qui inde iter haberent, capi jussit, & in carcerem conjici, interminatus numquam evasuros, nisi effecissent ut ossa petita redderentur. Horum autem precibus apud Præsules suos obtentum est, ut illi ea reddere cogentur. Translatum verò Paduam corpus, non jam apud Minores, sed in eorum invidiam apud Prædicatores, extructo ad id monumento, sepultum est.

Hic Urbem Paduam munivit muris, & ædificiis ornavit, & studiis Artium bonarum instruxit; nam opera quædam murorum, quæ

M 2

Mar-